





ORDINIS IVRIDICI DECANI
D. IO. CHRISTOPH. KOCH

PROGRAMMA

DE

BREVIARIO
EXTRAVAGANTIVM

BERNARDI CIRCAE

COD. MS. MEMBRAN.

BIBLIOTH. ACAD, GIESSENSIS



QVO

EXCELLENTISSIMI AC DOCTISSIMI

SYMMORVM IN IVRE HONORVM

CANDIDATI

CAROLI FRIDERICI LVTHERI

SERENISS. HASSIAE LANDGR. A CONSIL. AVL.

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

IVRE REVOLVTIONIS S. RECADENTIAE


AD D. XVII. IANVAR. CIOCCCLXXII.

IN AVDITORIO SOLLEMNI

HABENDAM


ET RELIQA SOLLEMNIA INAVGVRALIA

INDICIT



Gießae literis Braunianis





DE
BREVIARIO EXTRAVAGANTIVM
BERNARDI CIRCAE
COD. MS. MEMBRAN.


I.

Poffidet bibliotheca nostra academica inter alia plura cimelia tres praestantissimos Codd. MSS. ad ius canonicum pertinentes, quos, praesertim duos priores, in aliis Germaniae, etiam instructissimis & quae aliorum Codd. MSS. copia abundare solent, bibliothecis e.g. Vindobonensi, Berolinensi &c. frustra quaesiveris. Sunt illi Codices, omnes membranci,

- a) Breuiarium Extravagantium BERNARDI CIRCAE Praepositi primum Papiensis, postea Episcopi Faurentini, quae collectio inter antiquas Decretalium collectiones vulgo habetur prima.

a 2

b) IN-



- b) INNOCENTII III. prima collectio, quae inter antiquas Decretalium collectiones vulgo censetur tertia.
- c) BONIFACII VIII. collectio Decretalium, quam hodie *Sextum* vocare solemus librum.

De his tribus egregiis Codicibus accuratam dare notitiam nobis deliberatum ac constitutum est, & hac quidem occasione de *Breuiario* BERNARDI, de reliquis proxime, agemus.

Schol. *Antiquarum Decretalium collectionum nomine scriptoribus historiae iuris canonici* veniunt eae collectiones, quae GRATIANI *Concordiam discordantium Canonum* s. *Decretum* sequuntur & GREGORII IX. s. RAYMVNDI *Collectionem Decretalium* antecedunt. Harum vulgo quinque numerantur 1) BERNARDI CIRCAE, 2) IOANNIS VALLENSIS vel GALLENSIS, 3) INNOCENTII III. prima, 4) INNOCENTII III. altera, 5) HONORII III. Vide, si lubet, quemlibet *scriptorem historiae iur. can.* praecipue autem IOAN. DOVIATIVM in *Praenot. canon.* lib. IV. c. 16. Ordinem hunc non nihil turbavit *Vir Summus* IVST. HENNING. BOEHMER in *Praefat.* eruditissima ad P. II. edit. suae *Corpor. iur. can.* §. 13. qui duas ALEXANDRI III. collectiones, quarum *primam* ex Codice peruetusto bibliothecae Hasso-Casselanae in *Append. II. Corp. iur. can.* adiunxit, *alteram* exhibet HARDVINVS Tom. VI. *Concil.* P. II. p. 1694. seqq., antiquiores censet; & BERNARDI collectioni anteponit. Cui sententiae adstipulatus est nouissime PAVL. IOSEPH. de RIEGGER in *Inst. iurispr. eccles.* P. II. §. 79. seq. (*Vindob.* 1770. 8.) Sed huic controuersiae immorari iam non vacat. Redeo




Redeo ergo ad *quinque* illas, quarum supra mentionem feci, collectiones. *Quatuor* earum priores iam collegit, & sub titulo *antiquarum Decretalium collectionum* euulgauit ANTON. AVGVSTINVS. Herdae 1576. Paris. 1621. fol. Hodie vero eximiae raritatis est liber, & omnes Icti, qui *sones* amant, mecum rogabunt V. C. IOS. ANT. de RIEGGER, vt promissam in *Bibl. iur. can. P. I. p. 187.* (Vindob. 1761. 8.) nouam illius thesauri editionem procuret. *Quintam* s. *Honorianam collectionem* INNOC. CIRONIVS edidit, eiusque *repetitam editionem* debemus *Viro iam laudato* IOS. ANT. de RIEGGER. (Vindob. 1761. 4.)

II.

Quemadmodum generatim *Codd. MSS.* memoratarum *quinque* antiquarum Decretalium collectionum in Germania rarissimi sunt, ita speciatim hoc de *Breuiario* BERNARDI explorata res est. Vnde *Ictus Vindobonensis Celeberr.* PAVLL. IOSEFH. de RIEGGER, quum inspiciendi *Cod. nostrum* desiderio flagraret, intercessore & sponfore L. B. de SENCKENBERG, anno 1760. commodandum sibi illum a *Senatu academico* rogauit, cui petitioni hic liberaliter quoque annuit.

III.

Collectioni suae BERNARDVS ipse nomen *Breuiarii extrauagantium* indidit, vt notant omnes, AVGVSTINVS, DOVIATIVS, FLORENS aliique, quasi ex veteri & nouo iure, quae a GRATIANO omissa fuerant, suppleuerit. Diuisa est collectio in libros V., hique in titulos, eodem modo, vt RAYMVNDIANA s. GREGORIANA.




IV.

Communicauit iam cum orbe literato notitiam nostri Codicis, *Vir immortalis* HENR. CHRIST. L. B. de SENCKENBERG eo tempore, quum in nostra Academia munere *Antecessoris* fungeretur, in *Meditationum* fasc. II. n. 5. pag. 372. seqq. (Gießae 1739. 8.) eamque quibusdam obseruationibus a SENCKENBERGIO auctam inseruit IOS. ANT. de RIEGGER P. I. *biblioth. iur. can.* p. 62. seqq. Sed dolendum est, *Virum laude mea maiorem* in multis lapsum esse, & ibi praecipue, vbi solis fere oculis opus erat. Ipse quoque b. SENCKENBERGII filius natu maior, tanto Patre dignissimus, RENATVS LEOP. CHRIST. CAROL. L. B. de SENCKENBERG, quum ipsi, ante aliquot menses per hanc urbem iter facienti & me visenti, *Codicem* nostrum monstrarem, pro sua ingenuitate statim agnouit, specimina *Codicis* nostri a *Patre venerando* citato loco exhibita, imprimis *Epigraphen*, multis scaterere vitiis; quae tamen ego non tam celeri, qua omnia fere agere consueuerat *Vir*, vti se ipse saepe appellauit, *negotiosissimus*; festinationi, quam imperitiae Amanuentis adscribenda esse putarim,

V.

Recte *beat*, SENCKENBERGIUS dixit, *Codicem* nostrum pergamenum esse elegantissimum, & aut seculo XII. adhuc, aut vero ineunte XIII. scriptum, ac bene conseruatum. Formam habet maiorem, quam *folio* appellare mos est. Quaelibet pagina in duo latera




tera diuisa est. Praefationem, quam ab ipso BERNARDO collectioni suae praemissam esse perhibent DOVIATIVS & FLORENS I), Codex noster non habet: & forte illa genuina non est. Primi folii pagina prima vacua mansit, & in altera eius pagina eiusque latere dextro incipit Epigraphe, minio notata. Vt beneuoli Lectores cum genuina lectione statim conferre possint SENCKENBERGIANAM, vtramque hic subiiciam:

Lectio genuina.

Incipit breuiarium extrauagantium Bernardi prepositi papienfis. Anno dominice incarnationis MCLXXVIII. presidente romane ecclesie sanctissimo papa Alexandro III. pontificatus eius anno XX. mense martii indictionis anno XII. & v. Q. VII. & VIII. die mensis sedata iam discordia que super ecclesiam romanam & imperium a coniunctione scismatis per Octavianum heresiarcham aduersus sanctissimum papam introducta & per successores eiusdem Octauiani Suadonium heresiarcham & Iohannem strumensem diutius longo tempore inualuerat predicto Iohanne vltiori heresiarcha & Friderico romanorum imperatore qui huic fauorem prestiterat ad vnitatem mentis ecclesie redeuntibus in sede eiusdem presidente pontifice Alexandro sancta & generalis synodus CCLXXXIII. episcoporum ad hanc de diuersis mun-

Lectio Senckenb.

Opus sententiarum extrauagantium Bernardi prepositi Papienfis anno Dominice incarnationis MCLXXVIII. presidente Romane Ecclesie sanctissimo Papa Alexandro in pontificatus — anno XX. mense Martii indictionis anno XII. & v. Q. VII. VIII. die mensis sedata iam discordia que super Ecclesiam Romanam & Imperium occasione schismatis per Octavianum heresiarcham aduersus sanctissimum Papam introducta & per successorem ipsius Octauiani Suadonium heresiarcham & Iohannem Strumensem diutius longo tempore inualuerat predicto Iohanne vltiori heresiarcha & Friderico Romanorum Imperatore qui huic fauorem prestiterat ad vnitatem mentis ecclesie redeuntibus; in sede eiusdem presidente Pontifice Alexandro; Sancta & generalis Synodus CCLXXXIV. Episcoporum ad hoc de diuersis mun-



mundi partibus conuocatorum mundi partibus convocatorum
 congregata est in basilica que appellatur constantiniana in qua synodo XXVIII. canones promulgauit sanctus papa Alexander. congregata est in basilica que appellatur Constantiniana, in qua Synodo XXVIII. Canones promulgavit, sanctus Papa Alexander.

Iam numerosa vitia in sola epigraphes descriptione a SENCKENBERGIO commissa. Interim, quod doleo, epigraphen hanc, vitiis repletam, scriptis suis bona fide inseruerunt, nec aliter poterant, IVST. HENNING. BOEHMERVS 2) & *Vir illustris mihi que amicissimus* GEORG. LVDOV. BOEHMERVS 3). Factum inde quoque est, vt *Vir Generosissimus* IO. HENR. CHRIST. de SELCHOW 4), collectioni BEDNARDI nouum & antea inauditum nomen: *Opus sententiarum extrauagantium*, indiderit. (§. III.)

1) *Operum* T. I. p. 45.

2) in *Praef. cir.* §. 13. n. 87.

3) in *diatr. de clementinis* §. 2. Exstat in *Obs. iur. can.* p. I. seqq.

4) in der Geschichte der Rechte §. 137.

VI.

Annus compilationis Bernardinae quod attinet, putauit quidem antea SENCKENBERGIUS, collectionem hanc factam fuisse anno MCLXXVIII., argumento ex epigrapha ducto, in qua ille annus memoratur. Sed meliora edoctus a BOEHMERIS, illum nempe annum non spectare ad tempus collectionis Bernardinae, sed ad tempus concilii Lateranensis III. 1) postea



postea in supra excitata *Bibl. iur. can.* a RIEGGERO edita, P. I. pag. 63. a priori sententia recessit. Et verius omnino est, *breuiarium* a BERNARDO compilatum aut saltem absolutum esse sub COELESTINO III. circa annum 1191.


- 1) De vero tempore habiti *Concilii Lateranensis III.* scriptores non conueniunt. Egregia habet FRANCISCVS PAGO in *Breuiar. Pontif. rom. & Concil. general.* T. 3. p. 107. seqq. (Antwerpiae 1718. 4.) conf. etiam MAVRIQVE in *Annal. Cisterc.* ad a. 1179. c. 3. & WALCH in der *Historie der Kirchen - Versammlungen.* p. 716.

VII.

Instituta comparatione *Cod. nostri* cum editione AVGVSTINI multas easque insignes obseruavi discrepantias, vt omnino optabile sit, in editione noua *Augustini* collectionis paranda *Codicem* nostrum, vt pote paullo post absolutam collectionem manu exaratum, & peruetustum, conferri. Iam tempus non permittit, huius rei specimina afferre plura. Interim mihi temperare nequeo, quin hoc saltem adducam, in celebri illo *cap. 7. de praescriptionibus* (in *Decretal. GREGOR. IX.* est c. 5. *cit. tit.*) literis integris & distinctis ita scriptum esse: *Ephesinus enim legislator originis patruus.* Notum est, appellationem *Legislatoris Ephesini*, qui *Origenis patruus* dicitur, a longo iam tempore Canonistarum ingenia exercuisse. Coniecturas GONZALEZII TELLEZII, CUIACII, AVGVSTINI, IAN.

b

a CO-



a COSTA, IACOBI GOTHOFREDI, MARANI, CIRONI, REINOLDI, OTTONIS, I. H. BOEHMERI recenset V. C. IO. LVD. E. PÜTTMANNVS, 1) atque cum CIRONIO, GOTHOFREDO & OTTONE sub *Ephesino legislatore THEODOSIVM iun.* significari recte existimat. Quamvis nec ego vllum *scriptoris ecclesiastici* locum, vbi THEODOSIVS *iun.* appellatus sit *Ephesinus Legislator* inuenire potuerim, nec alii, in historia ecclesiastica versatissimi Viri, quos de hac re consului, talem locum mihi indicare potuerint. Licet autem verba: *Ephesinus legislator*, sana & proba esse existimem, puto tamen sequentia: *Origenis patruus*, in mendo cubare, & legendum esse cum IANO a COSTA: *Orientis partibus.*

1) in *eruditissima dissert. de Legislatore Ephesino*, quae adiecta est *Viri doctissimi* Probabilibus iur. ciuil. pag. 153. seqq.

Sed haec latius persequi instituti ratio non permittit. Pergendum potius ad id, cuius caussa haec praefatus sum. Indicandus enim est vitae studiorumque laudabilium cursus,


VIRI EXCELLENTISSIMI
CAROLI FRIDERICI LUTHERI
MOENO - FRANCOFVRTENSIS
SERENISS. HASSIAE LANDGR. A CONSILII AVLICIS
SVPREMORVM IN IVRE HONORVM
CANDIDATI
DIGNISSIMI

quem suis verbis ita ipse exposuit:

Ego



Ego CAROLVS FRIDERICVS LVTHERVS, natus sum
Francofurti ad Moenum d. 3. Oct. 1741. Patre HENRI-
CO EHRENFRIIDO LVTHERO, I. V. Doctore & Sere-
nissimi Wurtembergiae Ducis Consiliario aulico actuali
ac Residente in Vrbe Francofurtensi, matre autem AN-
NA MARGARETHA ex gente WALTHERIA. Hac di-
lectissima matre iam ante octodecim annos orbatus, patrem
quoque venerandum ante biennium amisi. Honori mihi
duco, quod a magno veritatis euangelicae restitutore &
intrepido confessore D. MARTINO LVTHERO in linea
recta descendam. A praeceptoribus domesticis fidelissi-
mis ab ineunte aetate doctrinis religionis & litteris hu-
manioribus instructus, anno 1756. in Collegium Caroli-
num Brunsvicense missus sum, in quo itenere, quum
Goettingam venire, ibi sub Prorektoratu Magnifici
AYRERI in numerum ciuium academicorum nomen meum
relatum est. Brunsvigae doctissimos Viros habui Prae-
ceptores in omni scientiarum genere. Anno 1761. Musas
Tubingenses salutavi, ibique per triennium scholas Vi-
rorum Illustrium, Excellentissimorum & Consultissimo-
rum frequentavi. Anno 1764. Viennam me contuli,
ibique, per triennium comoratus rare & nunquam satis
depraedicandae felicitatis particeps factus sum, ut Viri
Summi, cuius ossa venerari nunquam desinam, Liberi
Baronis de SENKENBERG institutionibus privatis,
quibus filium natu maiorem, paterni nominis heredem
certissimum, optimis doctrinis iuridicis & historicis quo-
tidie erudiebat, interesse mihi licuerit. Didici etiam Vien-
nae



nae modum procedendi coram augustissimo iudicio imperiali aulico. Triennio elapso redii ad patrios Lares, quum negotia varia familiaria praesentiam meam ibi desiderarent. Ante aliquot tempus Serenissimus Landgravius Hasso-Darmstadinus dignitatem Consilarii aulici clementissime mihi contulit. Iam res meae ita comparatae sunt, ut, summis in iure honoribus me ornatum esse, optem. Adii ergo illustre Ictorum in hac Academia collegium, atque ut editis speciminibus consuetis, summos in utroque iure honores in me conferant, obseruantissime petii.

Annuit petioni honestissimae Ordo noster, atque Virum Excellentissimum, cognita fati eius eximia & praeclara eruditione, ad publicum doctrinae legalis documentum, auspicalem nempe dissertationem; de iure reuolutionis s. recedentiae, lubenter admisit. Habebit hanc d. XVII. Ian. hora locoque consueto sub meo praesidio, praemissa Oratiuncula de Rota romana. Disputationis actu finito, hor. pom. III. in Examine rigoroso iuris utriusque textus, nempe c. 2. X. de donat. inter vir. & vxor. & l. 6. C. de sec. nupr. interpretabitur. Postea hor. V. pom. absolutis omnibus, quae statuta nostra exigunt, speciminibus, Iuris utriusque Doctor, a me rite renunciabitur.

Igitur, ut actum disputatorium MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, PROFESSORES AC PROCERES OMNIVM ORDINVM REIPUBLICAE TAM TITLERARIAE, QVAM CIVILIS, CELEBERRIMI ET AMPLISSIMI, OMNIVM FACVLTATVM DOCTORES ET HOSPITES HONORATISSIMI AC GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI CIVES COMMILITONES honorifica sua praesentia splendidiorem reddere velint; ea, qua par est, obseruantia & humanitate rogo. P. P. in Acad. Giessensi d. XVI.

Ianuar. CIOCCCLXXII. sub sigillo
Facultatis.

(L. S.)



Jg 5987

ULB Halle 3
002 806 886




SB

Retn 17,8,00 ✓

VON





8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



29

FRIDICI DECANI
STOPH. KOCH
GRAMMA
DE
**VIARIO
MAGANTIVM**
DI CIRCAE
MEMBRAN.
ACAD. GIESSENSIS

QVO
IMI AC DOCTISSIMI
N IVRE HONORVM
DIDATI
DERICI LVTHERI
LANDGR. A CONSIL. AVL.
NEM INAVGVRALEM
DE
NIS S. RECADENTIAE
ANVAR, CIOIDCCLXXII,
TORIO SOLEMNI
TABENDAM
OLLEMNIA INAVGVRALIA
INDICIT

lteris Braumianis

